Sci re tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?
At pulchrum est digito monstrari, & dicier hic est.

Vel vt aliquod præmium assequerentur, & sese insinuarent in alicuius gratiam, vel vt sibipsis satisfacerent, adeout in seipsis suum vltimum finem constituerent, quod est summa peruersitas: aut si qui fortè semel ob meram virtutis honestatem egerunt nonnihil, in alia plutima vitia prolapsos fuisse, sed de virtutis pulchritudine aliâs inuestigandum, an ob solam eius gratiam licitè possimus operari, itaut actionem nostram non referamus vlterius in Deum; an id fieri possit, siue à fideli, siue ab infideli: an ex se digna sit, quæ colatur ab homine, &c. nunc enim ad alia absurda, & incommoda inferenda venio.

Existimo vnumquemque mihi facilè concessurum, quod postulo, videlicet omnem virtutem ita se habere vt in quibusdam hominibus sit minor, in alijs maior, adeout quidam sint alijs prudentiores, sapientiores, iustiores, & sic de cæteris, cùm enim eædem contrariorum disciplinæ sint, idem de virtutibus, atque de vitijs asserendum est, quæ sanè maiora sunt in vno, quàm in alio; neque vllus sanę mentis negauerit eum prudentionem esse, qui tota vita Rempub. præclarè gubernauit, & administrauit omnia sapienter, quàm alium, qui vnicum consilium prudentiæ suggesserit, quicquid Stoici apud Tullium afferant, & astruere conentur illo paradoxo, ὅτι ἴσα πάντ' ἁμαρτήματα, καὶ πάντα κατορθώματα, æqualia esse peccata, & rectè facta; quod etiam de vitijs, atque peccatis concludunt: quod quia non parum Atheis fauere videtur, hîc discutiam, breuiter tamen. Insanus est, & omnis sapientiæ, atque scientiæ ignarus, qui negat diuersæ speciei virtutes ita se habere, vt vna præstet alteri, quando quidem vnius obiectum altero nobilius esse contingit, sicut & subiectum, à quibus maior, aut minor excellentia repetenda est; præterea, eo virtus aliqua præstantior est, quo magis ad rationem accedit, quæ est causa, & radix humani boni; hinc enim prudentia cæteris virtutibus moralibus appetitum perficientibus melior esse dicitur, quia rationem perficit; ita etiam iustitia quæ est in voluntate, reliquis moralibus est excellentior; & fortitudo, quæ quamuis sit in voluntate, à quibusdam in appetitu irascibili collocatur, ob auxilium, quod ab eo accipit, vt in obiectum promptè, fortiterque tendat: est temperantia melior, quæ iuuatur à concupiscibili, quia cæteris minus ad rationem accedit, & in ea ratio minores suæ flammæ scintillas ostendit, quia in minoribus temperantia motus suos rationi subijcit, quàm vel fortitudo, vel iustitia; si quidem fortitudo rationi motum appetitus subiicit in jis, quæ ad mortem, atque vitam pertinent; iustitia verò non solùm in iis, quæ ad proprium bonum, sed & in iis versatur, quæ ad alienum pertinent, vnde 5. Ethic. cap. 1. virtutum pulcherrima dicitur. Pari fere modo sapientia inter intellectuales regina est, ob excellentiam obiecti, quod est Deus, seu causa suprema, per quam velut architectonica de omnibus iudicat. Denique si de Theologicis aliquid afferre velimus, quas Athei nec habent, nec agnoscunt, præcipuam dignitatem obtinebit charitas, non tam propter obiecti diuersitatem, quàm ob maiorem illius participationem, & cum eo cõiunctionem, est enim de eo quod iam habetur, vt optime D. Thom. ait. 1. 2. quæst. 66. a. 6. cùm tamen fides sit de non visis, & spes de iis, quæ nondum habentur.

Tullius in paradoxis Opinio Stoicorũ.

Non omnes virtutes sunt æquales, sed vna præstat alteri etiã specificè sumptæ.

Aristot.

Iustitia virtutum pulcherrima.

Sapientia.

D. Thom.

Idem verò probatur de virtutibus solo numero diuersis, quales sunt duæ temperantiæ, quarum vnam in vno maiorem, in alio minorem esse posse contendo; vt enim ferrum, vel lignum altero calidius esse potest ob calorem intensiorem, ita virtus temperantiæ, & alia quæpiam siue moralis, siue intellectualis, siue Theologica, suscipere potest incrementum, vt quis maiori, quàm antea virtute præditus sit. Quod illi constituunt in maiori assuefactione, naturæ meliori dispositione, iudicio rationis perspicaciori, aut maiori dono gratiæ, qui gradus intensionis in habitibus non admittunt, qualis videtur is, qui supra a. 1. Sed & experientia satis ostendit quosdam & promptiùs, & sæpiùs, & faciliùs opera virtutis exercere, quàm alios; vnde obsecro id fieri potest, vbi præsertim vtrísque satis ampla virtutis exercendæ materia suggeritur? Quod autem de virtutibus diximus, de peccatis è contrario dictum existima. Superfunt tela paradoxi retundenda. Est peccare, tanquam transilire lineas; quod cùm feceris, culpa commissa est; quàm longè progrediare, cùm semel transieris, ad augendam transeundi culpam nil pertinet: ergone Tulli opinio fissime concedes eum à linea, quam transiliit, & ab ea per milliare recessit, non magis distare, quàm eum, qui passum vnum recessit ab eadem? si hoc tibi videtur absurdum, vide quàm facilè ruat argumentum. Perge Tulli. Peccare certè licet nemini; quod autem non licet, id hoc vno tenetur, si arguitur non licere: id nec maius, nec minus vnquam fieri potest, quoniam in eo est peccatum, si non licuit. Quod semper vnum, & idem est, ex eo peccata nascuntur, æqualia sint oportet. Egregiè quidem, nisi sophisticè, & parologicõs: In quo vim tuæ rationis firam existimas? in eo (credo) quod nemini peccare liceat; quid est non licere, nunquid teneri, & obligari, ne facias? quis verò neget inter obligationes fieri posse, vt vna magis adstringat, quàm alia? lege naturali teneris moribundo succurrere, si per te mortẽ facilè vitare potest; at occurrunt duo, peregrinus ex vna parte, deinde pater, vterque in summo periculo constituitur, nec tamen vtrúmque seruare potes; ad quem obsecro lex naturalis te magis impellit? ad peregrinum, an ad patrem? Ad patrem sanè: igitur strictius est obligationis vinculum, quo te lex obligauit, vt patri, quàm alteri succurreres, igitur tibi minus licet mortem patris, quàm alterius permittere? igitur magis peccas, si remedium patri deneges. Mitto sexcenta id genus exempla, vt alia, quæ sequuntur, excutiam.

Duæ virtutes solo numero distinctæ seinuicem perfectione vincũt.

Refellitur paradoxum Ciceronianum.

Ratio Stoicorum.

1.

2.

3.

Arguit ex virtutum æqualitate, vna virtus est consentiens cum ratione, & perpetua constantia; nihil huic addi potest, quo magis virtus sit, nihil demi, vt virtutis nomen relinquatur, erenim si bene facta rectè facta sunt, & nihil recto rectius, certe ne bono quidem melius quidquam inueniri potest: sequitur igitur, vt etiam vitia sint paria, siquidem prauitates animi rectè vitia dicuntur. Atqui quoniam pares virtutes sunt, rectè facta quando à virtutibus proficiscuntur, paria esse debent, itemque peccata, quoniam ex vitiis manant, sint æqualia necesse est.

Non insimulabo te, quod hæc à Philosophis sumas, potiùs enim ab asophis dixero, & ab iis qui ne quidem à primo limine Philosophiam